

Daniel Simonius Arnoldus Newschutz

**Exercitationum Practicarum Tertia, Doctrinam De Consequentibus Et
Concomitantibus Summi Boni Practici, Per Praecepta, Quaestiones & Axiomata,
Synoptice exhibens**

Rostochii: Kilius, 1642

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729605728>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1642
Daniel Simonius
Arnold Newshütz



©εξ διδόντες!

EXERCITATIONUM PRA-
CTICARUM TERTIA,

Doctrinam

De

CONSEQUENTI-
BUS ET CONCOMITAN-
TIBUS SUMMI BONI

PRACTICI,

Per Præcepta, Quæstiones & Axiomata, Synoptice
exhibens,

Quam

Altissimo clementer moderante

Permissu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

In alma Rosarum

Publicæ placidaq; Philosophantium Ἀγορεύει
ventilandam submittere

M. DANIEL SIMONIUS,

Nöribergâ-Marchicus,

PRÆSES,

&

ARNOLDUS NEUESCHUTZ/ Witsto-
chio-Marchicus, RESPONDENS,

In Collegio Unicornis ad diem 23. Julij,
horis Antemeridianis.

☉(○)☽

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILLI, Acad. Typogr.

Anno M. DC. XLII.

1642







Cum DEO.

PROOEMIUM.



Olem admirabile illud opus excelsi & mundi oculum quotidie miramur incredibili perfusa laetitia, exoritur enim & resplendet lumine exhilarante, seseq; intimis hominum fibris insinuante: Jure miramur pariter summum illud bonum practicum, quod instar solis lucidissimi exoritur viro bono, non absq; jucunditate delectante; illud cum desiderij nostri complementum sit, quò quæso absq; deliciis esse posset? Dolemus spe nostra frustrati, cum minus ex voto succedunt, quæ facta volumus, lætamur ex adverso, si eveniat, quod evenire exoptavimus singuli: Illud g. quod omnium appetitus intendit, si obvenit, amplissimam sanè gaudendi materiam nacti erimus: Et præbet hanc nobis summi finis adeptio, dum cum conscientia tranquillante, & honestissimâ voluptate mirum in modum delectante sese nobis insinuat. Uti vero solis lumen ab ipso sole distinctum est, ita bona conscientia & honesta voluptas S. Boni immediata consequentia non ipsum sunt bonum, utut proximè fluant ex ejus essentia. Nos cum S. Boni doctrinam præmiserimus, jam de horum immediatorum effectorum naturâ, ut & de concomitantium aliquorum indole, sævè à methodo, Deo ter Opt. Max. annuente, acturi sumus: sint g.

PRÆCEPTA.

I.

Immediata Summi boni consequentia (a) sunt accidentia propria proximè è naturâ ejus promanantia, quibus homo suavi-

A 2

ser-

ser acquiescit in virtutum exercitio. Suntq; (b) bona conscientia & honesta voluptas.

2. Bona conscientia (c) est indubitatum iudicium & remi-
scentia rectè cogitatorum, dictorum & factorum, cum iure divino
& humano consentientium, pacem & tranquillitatem voluntatis
& affectuum excusando, erigendo, & exhilarando afferens.

3. Voluptas honesta (d) est complacentia operationem hone-
stam non impeditam celerrimè subsequens, & operantem iucun-
ditate perfundens.

4. Concomitantia S. boni sunt accidentia communia, quæ
ipsam reddunt illustrius, & splendorem vigoremq; eius promo-
vent: suntq; libertas, Sanitas, divitiæ, dignitas, Amici (e)

5. Libertas (f) est facultas seu potentia facilè & expedite pro
arbitratu virtutis actiones sine impedimento exercendi in omne
objectum morale omni loco & tempore.

6. Sanitas (g) est bona corporis constitutio, & iusta humo-
rum corporis conformitas.

7. Divitiæ (h) sunt bona fortunæ quæ homo possidet, quæq;
faciunt ad comparanda quævis necessaria.

8. Dignitas (i) est eminentia in personâ ob virtutem. Distri-
buitur (k) in honorem, gloriam, laudem & bonam famam.

9. Amici sunt qui mutuâ se prosequuntur benivolentia. Ami-
citia verò (l) est benevolentia mutua & manifesta ob bonum ali-
quod erga eos qui amantur concepta.

NOTÆ.

(a) Hæc essentiam S. Boni immediatè ac individue per mo-
dum propriorum consequuntur, eoq;posito simul ponuntur, ani-
mus enim hominis, prout quidem illud ei à Deo implantatum est,
internam concipit ex vitâ honestâ & bonis moribus læticiam, &
in quolibet rerum statu de rectè factis serîo triumphat & tripudiat.

(b) Animi tranquillitas & læticia, quæ ab aliis diversæ conse-
quentium Species dicuntur, nobis sunt adjuncta bonæ conscientia.

(c) Quod detur bona conscientia de iure neminè negare pos-
se autumo, nam dari eandem cujusq; hominis conscientia testatur
actu reflexo, uti intellectus se intelligere intelligit. Dicitur verò

Cont.

Conscientia ex Con & scientia, vel allusivè est concludens scientia, concludit enim firmissimè, & loco Majoris ponit principium aliquod practicum indemonstrabile, ut: Deus est colendus, parentes sunt honorandi, honestè est vivendum, nemo est lædendus &c. In Minore, subsumit beneficio memoriæ, rem ita bene esse actam. Atq; ita concludit & decisivam fert sententiam. Bona dicitur conscientia, quia ex bono morali fluit, estq; viro bono maximè conveniens. Non est definienda per potentiam, quia hæc nunquam deponi potest, illa verò aliquando: Sed per judicium & reminiscen-
tiam: cum intellectus actus sit. Duæ verò retinentur voces loco Generis ob diversum conscientia ad actum respectum, Cogitata, dicta, & facta sunt ejus objectum. Causæ eam obligantes sunt jus divinum & humanum: Illud principaliter eam obligat, quia Deus absolute in conscientias habet potentiam; hoc subordinatè, mediante vi juris divini. Cætera de descriptionis verba effectus, & proprietates bonæ conscientia exhibent.

(d) Dari hanc probatur contra Stoicos, quia datur ejus causa bona, sc. actio honesta, cujus comes & effectus est: tum est signum perfectæ operationis, quod qui posset esse malum? Non esse eam ipsum S. Bonum probavimus in Disp. præced. Addito honestatis vocabulo distinguitur à Voluptate turpi, quæ cum vitiosis operationibus conjuncta à malis & incontinentibus expetitur; & ab intermediâ, quæ mediæ est naturæ, cum nullâ turpitudine, quamdiu inter limites sese continet, conjuncta.

(e) Plura possent assignari S. Boni concomitantia, e. g. robur, arma &c. Sed illa sunt primaria, & dividuntur in interna & externa. Illa sunt quæ nobis inhaerent, ut libertas & sanitas, Hæc quæ extrinsecus adveniunt, ut cætera.

(f) Natura hujus elucet etiâ ex opposito, sc. Servitute, quæ est mancipatio seu captivitas, quæ quis alieno dominio contra virtutem subjectus in virtutum exercitio impeditur. ô Libertas aurea!

(g) Sanitas optimum vitæ nostræ bonum est, & Plutarchi verbo ἡδυσμα θεϊότητων, unde semper Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano, imprimis cum & sine sanitate virtutis operatio vix exerceri valeat; quamvis enim ad esse non concurrat, ta-

men ad bene esse omnino est necessaria. Ad hanc coloris suavitas si accedat, pulchritudo oritur, quæ itidem decus virtuti non contemnendum affert, & hominem beatum singulariter exornat. Solemus enim exinde virtutis actiones expeditiores conijcere, id quod amabilius & gratiores eas nobis postmodum reddit: & trium est, quod gravior est pulchro veniens è corpore virtus.

(h) Hisce in externis virtutum exercitijs vel ut medijs vel ut conciliatricibus splendoris virum felicem carere non posse, quis sanus ambigit? Sunt respectu usus organa virtutis & acquirendæ & exercendæ.

(i) Et hæc huc spectat, quatenus virtutis operatio ejus splendore illustrior redditur: cari enim & nobiles illustriora edunt virtutum specimina quam ignobiles & obscuri.

(k) In genere aliàs rectè dividitur in generalem & specialem: Illa subdividitur in majorem & minorem; major est, honor & gloria; minor, laus & bona fama: Hæc, specialis nempe, est Nobilitas, de qua prolixius in Politicis. Coeterum honor à gloriâ secundum varios variè distinguitur: & quidem ratione subjecti dicuntur honor & in bonos & in malos cadere, sed gloriam non nisi in bonos; ratione signorum dicuntur honorem esse in verbis & gestibus, gloriam etiam scriptis significari, ratione loci & temporum ajunt honorem contineri uno in loco, in quo exhibetur, & definiti præsentis tempore, gloriam autem per plura vagari mundi loca & ad omnia tempora sese extendere. Verùm cum circa hoc discrimen nõ consentiant omnes, nec idem à probatis autoribus semper observetur, nec nos id rigidè urgebimus. Laus verò à gloriâ ita differt, quod confertur ob minorem virtutis gradum, & ab uno vel paucis: Gloria verò majorem virtutis gradum requirit, ob quem confertur à pluribus virtute excellentibus. Bona fama interdum laudem & gloriam complectitur, interdum contradistincta est, & iis etiam competit, qui nec gloriam nec laudem magnam habent, sed tamen immunes sunt scelerum.

(l) Et hæc magnum habet ad bene beateq; vivendum momentum, videmus enim virtutis exercitium ope & fide amicorum succurrentium mirum in modum promoveri. Definitur per benivolentiam

nivolentiam, quæ vox hic generaliter fumitur, ut amicum affectum denotat. Causæ amicitia sunt natura, ingenii, studiorum, & ætatis æqualitas, nec non conversatio. Dividitur in perfectam & imperfectam: Perfecta dicitur honesta ob objectum quod amabile honestum; estq; inter viros bonos. Imperfecta est vel utilis, quæ ita denominatur ab objecto, amabili utili, & imprimis conspicitur in senibus avaritiæ deditis & negotiatoribus; vel jucunda, quæ pro objecto habet amabile jucundum, & maximè delectat juvenes, qui ob jucundas delicias conjunguntur.

QUÆSTIONES.

1. An rectè de bonâ conscientia hæc loci agatur, & quomodo de eâ agendum sit?

Posse de re quapiam diversis in disciplinis diverso respectu in-
 titui tractationem, quinimò rem ipsam ita postulare, saniorum
 calculo jamjam comprobatum judico. Ut ut g. Conscientiæ scru-
 tinium & absolutum genericumq; conceptum sibi vendicet Pne-
 matica, nobilissima illa scientia, quando se. præmissâ de Spiritu,
 quatenus à finito & infinito præscindit, & quat. lumine naturæ est
 cognoscibilis, generaliori tractatione, postmodum etiam de in-
 tellectu, ejus conscientia noticia & actus est, præcepta tradit; ta-
 men & ad Ethicum spectat doctrina de bonâ conscientia, ejus-
 demq; est agere de eâ, specificè saltem & respectivè, quatenus scilicet
 ultimæ beatitudinis consequens est; nam cum *πρωτος* & adæ-
 quatè de fine ultimo hic suscipiatur negocium, exactioris cogni-
 tionis gratiâ etiam de immediato ejus effectu vel consequente, bo-
 nâ sc. conscientia, saltem *δευτερος* aliquid proponitur. Ubi simul
 notamus insignem errorem nonnemini, bonam conscientiam
 pro parte felicitatis humanæ essentiali venditantis, eò quod beati-
 tudo sine bonâ conscientia esse non possit, nec felix sit nisi qui sibi
 bene sit conscius: tum quod mala conscientia humanæ miseræ
 portio sit. Sed funiculus est ex arenâ: Prius enim quod attingit
 nec sine virtute S. Bonum esse potest, quæ tamen pars ejus essen-
 tialis non est, cum nomen efficientis & organi illic fortiaur. Pos-
 terius verò, si strictè loqui velimus, planè frivolum est, miseriam
 enim

enim humana opposita summæ beatitudini continuata est secundum vitia operatio, cujus non pars sed consequens est mala conscientia, æquæ ac bona conscientia beatitudinis non pars est sed consequens. Præclusa enim per intellectus opem bonâ conscientia de viro beato, nihilominus adhuc verè beatus dici potest, possum verò illum concipere, ut continuò ex virtute operantem, non spectatâ bonâ ejus conscientia; quod autem de essentia rei est, ab eadem salvâ manente, ope intellectus sequestrari non potest, uti e.g. qualitas non potest divelli à prudentia vel eruditione, cum de ejus sit essentia.

2. *An bona conscientia etiam fama præferenda sit?*

Eximius utraq; passim evahitur laudibus: Illa, secundum Ciceronem, bene actæ vitæ multorumq; benefactorum recordatio est jucundissima: juxta Augustinum; illius tranquillitate nihil excogitari potest beatius & ut in Græcorum habetur collectaneis: *Βεγαίς ἀπαίτιν ἢ σαρείδης θεός*. Hæc verò cum vitâ pari passu ambulare vulgò dicitur, & tritum est Philæphi in satyris dictum: Omnia si perdas, famam servare memento, hac semel amissâ, postea nullus eris. Et præclare alicubi Plautus: Ego si bonam famam mihi servasso, sat ero dives. Talia ferè infinita de utroq; bono circumferuntur encomia, Phæbi tripode dignissima. Utri g. magis studendum & cui primæ partes deferendæ sint, non immeritò disquiritur: Nos institutâ comparatione bonam conscientiam, famæ præferimus: Illa enim nostræ est potestatis, & solis bonis competit: hæc ab aliorum opinione dependet, & pro hominum judicio & dicacitate est variabilis, malis etiam competit sæpissime, quando sinistros vulgi rumores cautè effugientes præter meritum cælotenus efferuntur laudibus; Illam qui sectantur, perpetuo tenore virtutem colunt, nec errant: Hanc vero qui amant impensius, facile arrogantia vento abripiuntur in avia, & spe suâ ita non raro excidunt. Et quod ferè palmarium est: Illa testimonium præbet apodicticum vitæ bene actæ; hæc fallax est, multa secus ac gesta sunt, effugiens. Illa secura est & quiete suâ gaudet, ridet famæ mendacia, humana quæq; alto quasi supercilio despicit, nullaq; re adversâ movetur, qui enim interno isto judice probus audit, quid addent aut dement ei vani sermones & rumusculi? nil conscire sibi

sibi, nullâ pallefcere culpâ, murus est aheneus: Vir probus licet a
pud malos famâ ipsi invidentes malè audiat, suû facere potest illud
Senecæ, in se religiosum: Malè de me loquuntur homines, sed ma-
li: Moverer si de me M. Cato, si Lælius sapiens, si alter Cato, si duo
Scipiones ista loquerentur, sed malis displicere laudari est; non
potest ullam autoritatem habere sententia ubi qui damnandus est
damnat. Quid sibi hornm vendicabit nudæ famæ sectator? Ex
quibus omnibus colligimus, bonæ conscientiæ studium famæ stu-
dio præferendum esse, neutram tamen præposterè negligendam.

3. *An voluptas honesta etiam DEO competat?*

Scripturam Sacram de hac quæstione si consuluerimus, nega-
tivè respondere non poterimus, siquidem illa evidenter DEO volu-
ptatem attribuit, dum testatur, eum conversione hominum spiri-
tuali delectari, delicias suas habere cum hominum filiis; quinimò
recta ratio $\epsilon\mu\acute{o}\psi\eta\Phi\Theta$ est, quæ docet, quod omne bonum, ejus-
demq; fruitio comitem habeat voluptatem: Deus g. cum summè
bonus sit, & quicquid bonitatis est in se contineat, voluptatem et-
jam in se habebit: Absit tamè, ut ita in DEO aliquod fingamus acci-
dens, quamvis voluptas in homine accidens sit siquidem novi-
mus, quod quicquid in DEO est, ipse DEUS sit, & quod consubstan-
tiale DEO sit, quicquid ejus est, & quicquid est: Sed quemadmo-
dum ob mentis nostræ imbecillitatem alia etiam conceptibus in-
adæquatis de DEO efferimus, factâ prius terminorum ab omni im-
perfectione liberatione, ita & voluptatem κατ' ἀναλογίαν DEO
attribuimus eminenter, sed ut perfectionem essentialem non verò
motum accidentalem.

4. *An divitiæ sint bonæ?*

Stoici olim negativam defenderunt, de quibus & alicubi refert
Tullius quod dixerint, omnes esse divites, qui cælo & terrâ possent
frui: quod $\pi\alpha\rho\acute{\alpha}\delta\omicron\zeta\omicron\nu$ si tolerandum, certè omnes mendici fo-
rent divites, & quotquot siti vel fame, enecantur, morerentur in
divitiis, quinimò reptilia aliaq; bruta, etiam abjectissima de nu-
mero forent ditissimorum. Sanior nobis mens est: Consideramus
divitias vel absolutè, in se & naturâ suâ: vel relatè & in usu.

B

modo

modo omnino bonæ sunt, sunt enim DEI donum, cujus benedictio facit divites: Hoc verò respectu res dici possunt intermedix, quas vel bene vel malè usurpare possumus: Namq; ut aliàs ita & hîc legitimus usus habet laudem, crimen abusus habet: quinimò quicquid vitii in abusu contrahitur, non opibus ipsis jure adscribitur, sed animo malè utenti, quemadmodum enim non vinum culpatur, si quis ad ebrietatem eo abutatur, quia hic, qui abutitur, culpandus est: Ita vitium non assignandum est divitiis, si quis iis fortè corrumpatur, sed illis qui minus dextrè eis utuntur. Observemus igitur mediocritatem in earum usu, nimias sordes & parsimoniam in defectu, luxum verò & prodigitatem in excessu evitando, & rectè iis utemur.

s. Quomodo divitiæ ad S. Bonum pertineant?

Bonas esse usu legitimo divitiis modò dictum est, & antea negatum eas esse ipsum summum bonum; quæritur jam ratio, quare inter summi boni concomitantia eis locum assignemus & quomodo ad felicitatem practicam pertineant? Et in promptu est responso, quod non ad constitutionem seu ipsum esse pertineant, verùm ut adminicula ad bene esse, & integritatem majoremq; ejus splendorem: non enim si absint, beatitudinem tollunt, siquidem Stilpo quondam amissis omnibus opibus rectè exclamavit, se nihil perdidisse; sc. quod ad essentiam felicitatis faceret: Obscurant tamen eam si absint, uti ex adverso eam ornant & promovent, si adsint: Aliàs sola virtus, ejusq; exercitium sibi sufficiunt, & sola voluntas & actio viri boni interior laudem meretur & boni præmium, remotis etiam adminiculis. Si verò rectè bene esse virtutum & summi boni respiciamus, vir bonus iis planè carere non potest, ut adminiculis & instrumentis imprimis in externo liberalitatis & magnificentix exercitio. Simili tota res eleganter à nonnullis exprimitur: Assimilant nempe virtutem opifici, ipsamq; felicitatis vocant opificem: Ut vero ars & artifex esse possunt sine instrumentis, ut quæ ad constitutionem & essentiam non sunt necessaria, licet ad operationem artis requirantur: Ita nec virtus & felicitas externis bonis indiget ad sui essentiam constituendam, ut quæ ipsam non ingrediuntur, sed ad usum, praxin, & splendorem omnia ea requirit.

6. 411

6. *An honorum introducenda sit æqualitas, & num
eos contemnere liceat?*

Non à proposito alienum arbitramur eorum hinc perstringere errorem, qui, nescio, quâ ducti fucata sanctimoniâ aut honorum equalitatem introducere, aut ad eosdem planè aspernandos alios secum invitare laborant: utroq; verò errant modo: nam qui posset tolerari honorum æqualitas, cum virtutis sint præmium & summam beatitudinem concomitentur, nec non pro naturâ & portione virtutis debeantur virtuosis, magis virtuosis majores, minus talibus minores, cum & ipsius DEI voluntas sit, ut aliqui sint domini & superiores, alii inferiores & servi, cum & ipsa natura membra alia aliis honoratiora constituerit, aliâs etiam quod per se satis languidum est virtutis studium in hominum animis facilè extingatur? qui & cum Cynicis Philosophis honores planè essent respuendi, & quorsum ista præpostera ἀφιλοπυμία? peccarem certè, si virtute præditi & meritis conspicui nihilominus meritorum præmia honores respueremus: In DEUM essemus injurii, qui sua nobis dona communicans nos honoribus dignos judicasset, quemnos, ita honores spernendo, ut autorem eorum non obscure sperneremus: Injurii essemus in nos ipsos, suspectos nos reddendo, at negligere quid de se quisq; sentiat non modo non arrogantis est, sed & planè dissoluti, dicente Tullio; tum ut servilis ingenii homines & terræ filios nos prostituendo, cum aliâs optimus quisq; maximè gloriâ ducatur, & suo pte impetu tendat ad diviniora, inter quæ & honor locum invenit. Injurii essemus in alios, quos bono exemplo & nobis collatis virtutum privilegiis non excitarem ad virtutis studium. Nullâ g. ratione honorum toleranda æqualitas vel comprobandus eorum contemtus. Et tantum de hac quæstione: Quærimus ulterius:

7. *An honor etiam pueris & defunctis, itemq; an & propter omnem virtutem tam moralem quàm intellectualem sit conferendus?*

Circa subjectum recipiens honoris hinc primùm quæritur: An & pueri & defuncti id esse possint? Pueros, quod attinet, cum

εὐδαιμονία ipsa eis non competat, nisi διὰ τὴν ἐλπίδα & ratione
δυνάμεως, seu cum actu beati non sint, sed tantum aptitudine præ-
diti, ut beatitudo in eos cadat, quandoquidem ætatis defectus,
opinionis perversitas, veri ignorantia, morum inconstantia, affe-
ctuum fluxus & refluxus vitiorumq; affluentia eos inidoneos ad vir-
tutis & εὐπραξίας possessionem reddit, facile collectu est, quod
pariter non nisi ratione spei & potentiæ, & propter virtutis incli-
natione honor eis competat, idq; improprie, proprie enim propter
actionem virtutis ipsumq; exercitium confertur. De defunctis ita
sentimus, quod eis ob virtutis & præclara in remp. merita vel lau-
dum decantatione, vel statuarum erectione, vel posterorum cura
& nutritione, vel modis consimilibus justus deferatur honor, cum
virtus etiam post funera vivere gestiât, & sæpius dum in vivis fue-
runt viri splendidis virtutum ornamentis decorati, honore sat di-
gno affici, aut propter egregia opera omni laude dignissima satis
celebrari non potuerunt: Ut ut enim hujus lucis usura valedixe-
rint, & secesserint secundum animæ & corporis substantiam, ta-
men si eorum spectemus posteros, si memoriam & præclara me-
rita, adhuc superstites inter vivos sunt, & virtutis celebratione quasi
præsentes sistuntur. Restat, ut quid de honoris fundamento, seu
eâ conditione, quæ subjectum honore dignum constituit, nempe
virtute tam morali quàm intellectuâli statuamus, & anne propter
utramq; etiam honor sit conferendus, modò dictis addamus: Ubi
ut ab omnibus concessum præsupponimus (siquidem in eo &
Ethnicos & Christianos consentire arbitramur) non nisi propter
virtutem honorem esse conferendum, & ad honoris templum non
esse quenquam admittendum, nisi prius in virtutis templo se gna-
vum & solertem præstiterit: Cum verò virtus à Philosopho in
moralem & intellectualem dispescatur, pensitandum utri honor
jure debeatur: neutri verò eum denegandum esse statuimus, &
cum de morali nullum sit dubium, etiam intellectuâli eum esse de-
ferendum concludi posse judicamus ex subsequentiis, quia se-
finem habet emineatissimum, nempe contemplationem, subje-
ctum excellentissimum, nempe facultatem ἐπιστημονικὴν, obje-
ctum præstantissimum, res immutabiles & æternas, modum etiam
contem-

contemplandi certissimum, præterea & intellectualem DEUS maximè possidet, eademq; in divinorum consideratione maximè versatur: quis g. virtutem intellectualem jure honore indignam judicaret? quinimò utut populariter ad civiles virtutes honor rectè referatur, tamen propter rationes adductas etiam eminentiori modò dianoëticis eum competere concludimus.

8. *An amicitia possit esse inter multos?*

Solem è mundo tollere videntur, qui tollunt amicitiam, nec vel aquà vel igni pluribus locis indigemus, quàm amicitia, cum nemoliceat omnium reliquorum bonorum copià circumfluat, vitam sibi optabilem sine amicis comparare possit, amicitia g. mundum carere posse affirmabit fortasse *μισόνθρωπος*, nunquam *Φιλάνθρωπος*; cum autem amicitia vel honesta sit vel jucunda vel utilis, an in aliquà harum commodè plures esse possint, rectè quaeritur: Nos negativè astipulamur parti, non tantum ob elegans Hesiodi monitum: *μήτε πολύξαινον μήτ' ἄξαινον καλέεσθαι*, & Aristotelis autoritatem, docentis virum bonum nec *ἄφιλον* nec *πολύφιλον* esse debere: sed etiam ob rationes, & quidem quod honestam concernit, ut speciem primam, ea posita est *ἐν ὑπερβολῇ* & excellenti amoris gradu, qui in *πολυφιλία* locum non invenit, sed ad unitatem proximè accedit; præterea amicitia hæc requirit, ut vehementer nobis placeamus mutuò, unum autem simul & similiter pluribus placere non posse in propatulo est: requirit etiam summam virtutum rerumq; consensionem, quæ vix contingit pluribus: Est tantum inter bonos, hi verò rari, & vix totidem quot Thebarum portæ: Diuturnâ etiam ad hanc statuminandam opus est exploratione, quomodo autem quis multos explorabit? unde tantum temporis sumendum, quod ad istam explorationem est necessarium? Jucundam si respicimus, nec ibi *πολυφιλία* exoptanda est, cum injucunda sit & multi amici plus tædi quam delectationum afferant, & juxta elegans Philosophi ratiocinium ita amicis utendum sit, ut condimentis in cibo, quæ hunc suaviorem reddunt, si non assatim sed parcè aspergantur.

tur. Nec utilis deniq; amicorum admittit multitudinem, quippe facultatibus nostris detrimetosam: Ut enim fluvius in plures rivulos distractus tandem fluit languidius, ita & benevolentia amicis declaranda in multos distracta languescit. Vera g. amicitia non inter multos, & imprimis honesta vix inter plures quàm duos esse potest.

9. *An amicitia inter pocula in ita rata sit habenda?*

Non videtur quæstio hæc esse ὑπὲρ ὄντ' σκιᾶς, ut vulgò dicitur, cum rationes circumferantur in utramq; partem, præterea & nihil hisce moribus & temporibus frequentius sit, quàm ut inter pocula, cum animus Baccho immersus, & sæpius nec manus, nec pes nec mens rectè suum potest peragere officium, amicitia & ἀδελφία magno temeritatis argumento contrahantur. Affirmantes ζήτησις propositum obtendunt finem honestissimum, quod amicitia illa ut plurimum eò tendat, ut studiorum conjunctio, officiorumq; communicatio minùs dubia aut incerta sit; quæ ratio tamen nihil evincit, cum à particulari procedat, & è contrario sæpiùs sub specie honesti finis maximè inhonestus obtudatur. Objiciunt præterea, legitimum esse contractionis hujus amicitia modum, cum fiat apertè ratione loci, præsentibus pluribus, ut testibus: & animi, qui liberè veritatem tunc prodit, tritum enim quod ἐν οἴνῳ ἀλήθεια. It. τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ τῆ νήφουσι, ἐπὶ τῆς γλώττης ἐστὶ τῶ μεθύοντι. Sed locus qualiscunque sit ut rebus aliis, ita & amicitia nullam importat perfectionem, patefactio verò illa animi etiã plerumq; fallit: vino enim madidi quæ non jactitant sæpius? Blandiuntur verò insuper sibi consuetudine à prisca, imprimis Græcis derivata, quæ tunc fortè illis suppetias ferret, si multitudo errantium pareret errori patrocinium, aut temporis longinquitas malos mores bonos posset efficere. Atque ita plæræque rationes dictæ & consimiles in fumum abeunt. Firmiùs verò concludunt, qui à parte stant negantium: Argumentum verò ducunt indè quod veræ amicitia contractio aliquam temporis moram & conversationem crebriorem reposcat, cum una actio non prodat, quis Achilles aut Catilina sit, sed juxta illud πολυθρύλλητον multi modii salis prius unà edendi sint, & ad menses aliquot

quot Diogenis lucerna optis sit ad investigandas latebras, variosq;
 qui in hominum animis sunt, recessus explorandos, id quod & Se-
 neca docet, inquit: Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis re-
 cipiendus sit, cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte: &
 Solonis monitum notabile est: *Φίλος μὴ ταχὺ κῆρ*. Accedit ad
 hæc, quod vera amicitia producenda ex iudicio libero, & rectâ
προαίρεσει constituenda, quod verò nisi vincitum & captivum in
 ebrijs esse potest iudicium? qualis in eis electio? Ut ne addam
 varia, quæ illam subitam & poculariam vel vitream *ἀδελφίαν*
 solent insequi incommoda, turbæ, tragœdiæ, & scommata in con-
 gressu ejusmodi amicorum frequentissima. Sed ne tamen mo-
 rosi aut iniqui rerum æstimatores audiamus, distinctionis tempe-
 rie rem componemus, distinguentes inter amicitiam in convivijs
 honestis inter hilaritatis pocula contractam & renovatam: & in-
 ter amicitiam in vulgaribus ad pergræcandum confluxibus inter &
 per superflua pocula comparatam: Illic vera iniri potest amicitia
 virtutum cancellis circumscripta, cum viri boni benivolentiam,
 quam antea proderè ausi non fuerunt, liberius declarant: hîc
 verò quod citò fit, citò perit, & concocto vino stimuleva-
 nescit amicitia; vel civilis tamen tantùm ea est fa-
 miliaritas, verè aut philosophicè conside-
 rata nunquam aut rarissimè.

AXIOMATA.

1. *Nec omnis voluptas mala est, ut visum fuit Stoicis, nec omnis bona est, ut Eudoxo.*
 2. *Pertinet voluptas honesta ad S. Boni perfectionem non constitutivè seu pro gradu quiddiatis, sed consecutivè & gradu integritatis, unde à Philosopho dicitur τὴν ἐπιγιγνώμενον.*
 3. *Voluptas animi, ob nobilius subjectum, quod est intellectus, & propter objectum optimum & durationem diuturnam præstantior est voluptate corporis.*
4. Divi-

4. Divitiæ non sunt in nostra potestate, sed à fortunâ dependent.
5. Honor non est honorati sed honorantis, ἐνεργητικῶς & effectivè: non est honorantis sed honorati παθητικῶς & receptivè.
6. Improbi honorare non possunt.
7. Amicitia non est virtus, sed potius virtutis effectus, & summi boni concomitans.
8. Amicitia in scholis contracta est optima.
9. Amicitia non potest esse inter homines diverse religionis firma nec perfectâ inter senes & juvenes.

Τῶ © Εῶ Δόξα.



Quisquis es eximijs quamvis sis dotibus auctus,
 Quamvis clara tuum decoret sapientia pectus,
 Si non ingenij producis in æthera fructus,
 Nullæ te laudes non præmia digna manebunt.
 Omnino æquali cum milite sorte fruëris.
 Corporis egregio quamvis hic robore præster,
 Ni pugnet; nunquam viridantia ferta capeffet,
 Hæc bene perpendens NEUSCHUTZI dulcis amice
 Floribus ornato satagis de ponte cathedræ
 Practica laudando defendere lemmâta ritu.
 Propterea meritis omnes te laudibus ornant.
 Perge modo & Musæ tibi præmia summa parabunt.

Hæc in gratiam Domini RESPONDENTIS
 Amici mei candidissimi L. m₃ appegi

ANDREAS LÖLHEWEL,
 Borussus.




quot Diogenis lucerna opns sit ad investigand
 qui in hominum animis sunt, recessus explora
 neca docet, inquiens: Diu cogita, an tibi in
 cipiendus sit, cum placuerit fieri, toto illum
 Solonis monitum notabile est: *Φίλος μὴ τα*
πειραίεσαι hęc, quod vera amicitia producenda ex ju
πειραίεσαι constituenda, quod verò nisi vinò
 ebrijs esse potest iudicium? qualis in eis ele
 varia, quę illam subitam & poculariam ve
 solent insequi incommoda, turbę, tragędia,
 gressu ejusmodi amicorum frequentissima,
 rosi aut iniqui rerum aestimatores audiamus,
 rie rem componemus, distinguentes inter a
 honestis inter hilaritatis pocula contractam &
 ter amicitiam in vulgaribus ad pergręcandum
 per superflua pocula comparatam: Illic verò
 virtutum cancellis circumscripta, cum viri
 quam antea prodere ausi non fuerunt, lib
 verò quod citò fit, citò perit, & conco
 nescit amicitia; vel civilis tamen tant
 miliaritas, verè aut philosophice
 rata nunquam aut rarissim

AXIOMATA

1. *Nec omnis voluptas mala est, ut visu*
omnis bona est, ut Eudoxo.
2. *Pertinet voluptas honesta ad S. Boni*
constitutivè seu pro gradu quida
tivè & gradu integritatis, unde
τέλος ἐπιγιγνώμενον.
3. *Voluptas animi, ob nobilius subjectum*
aus, & propter objectum optim
diuturnam prestancior est voluptas

the scale towards document



riosq;
 & Se
 nis re
 e: &
 dit ad
 recta
 um in
 ddam
 Φίαν
 con
 n mo
 empe
 aviviis
 & in
 ter &
 nicitia
 tiam,
 : hęc
 va-

s, nec
 m non
 nsecu
 dicitur
 ntelle
 tionem
 Divi-